

I. N. J.

ΣΥΖΗΤΗΣΙΣ

DE

SCANDALO,

IN SYNODO MOLHUSINA,

Anno 1706. d. 20. Julii,

post sacra in Æde Mariæ Magdalenzæ

peracta,

ventilanda,

ad quarum ἀπόδοσιν

NOBILISSIMI PROCERES;

ad velitationem vero

PLUR. REVERENDI DOMINI ΣΥΖΗΤΗΤΑΙ

officiosissime & amantissime

invitantur

a

D. JOH. ADOLPHO FROHNIO, Past. Prim.

Superint. Consist. Ass. & Scholarum

Inspectore.

MOLHUSII

typis Tobia Davidis Brückneri,

Anno 1706.



Viri plurimum Reverendi, Amplissimi, Doctissimi, Clarissimi, Fratres in CHRISTO honoratissimi, dilectissimi.



§. I.

Communissimum atque perniciosissimum malum, quo non solum homines in suæ naturæ viribus corrumpuntur, franguntur & debilitantur, sed etiam alii deteriores redduntur, quo omnia sursum atque deorsum moventur & vertuntur, quo boni mores & honestæ vivendi rationes impediuntur & concidunt, quo denique omni impietati, improbitati, injustitiæ, petulantia, lasciviam atque proterviam, bipatentes aperuntur fores, erit nobis in Moderna Synodo fraternali Colloquii & Symbolicæ Collationis materia. Malum hoc pervulgatum & noxivum nihil aliud est quam SCANDALUM, lues illa venenosa, quæ Viros. & foeminas, Clericos & Laicos, Superos & inferos, Deos atque homines inficit, corrumpit, perdit, quæque omne malum, & damnum Mundo infert & affert. *ὄντι τῷ κρίματι, διὰ τῶν σκανδάλων Matth. 18, 7.*

§. 2. Vis nocendi, quæ scandalo inest, luculentissime proditur ex ipsa Vocis notatione, si illa probe attendatur & perspiciatur. Ratione originationis suæ vox Scandali est græca, Latina tamen Civitate donata a Doctoribus Ecclesiæ. Nam Ecclesia sic utitur appellatione scandali, aliis scriptoribus hic usus ignotus est, qui dicerent exempla seu *ὑποδείγματα* nocentia, inquit Philip. Melancht. in LL. Theol. de Scandalo p. m. 716. Factum autem est *σκάνδαλον* a *σκάω*, i. e. claudico, flecto, inclino, & quidem a Verbi hujus Aristoteli secundo, *ἐσκαδον*, a quo, per insertionem literæ *v*, deductum fuit *σκάνδαλον*. Et vi etymologiæ significat in genere offendiculum, id est quiddam, ad quod impingens labitur, seu trepidat aut cæspirat, aut quo detinetur & capitur. Offendiculum scilicet in viis positum, ad quod qui impingit, vel concidit, vel cæspitando titubat, aut sic dicitur, ut claudicare incipiat, dicitur proprie & vi vocis scandalum. Scandala etiam eadem proprietate appellantur media illa captiosa in instrumentis, quibus capiuntur lupi, vulpes, martes, glires, mures atque aves, quæ animalibus hisce, in illa impingentibus, fiunt offendicula, retinacula, fugæ impedimenta, & vitæ detrimenta. Qvemadmodum Hesychius inquit,

qvit, σκάνδαλον τὸ ἐν ταῖς μυσταῖς ἐκτεταμένον πύργιον. i. e. Scandalum
 est paxillus, seu parvus palus existens in muscipulis. Et pari ratione tiglia
 seu parva tigna, quæ in decipulis & tendiculis, incautis animalculis in ca-
 pturam & ruinam tenduntur & exponuntur, nec non ipsæ tendiculæ non-
 nullis vocantur scandala. *D. Pezelius Tom. 9. LL. Th. de scandalo p. m. 258.*
 Ecclesia nomen hoc transfudit ad insidias, quibus quasi offendiculis ten-
 diculis & decipulis, perniciosissimus, velocissimus & astutissimus venator,
 satanas homines in peccata præcipitare, eosque capere & perdere omni-
 bus conatibus & nisibus meditatur & molitur. Quam nociva igitur am-
 bulantibus sunt offendicula in viis incongrue posita, & quam periculosa
 sunt tendiculæ & decipulæ animalibus, tam nociva & periculosa quoque
 sunt scandala, quæ hominibus in via vitæ objiciuntur.

§. 3. Significatus vocis Scandali tria involvit, sive sumatur in sensu,
 quoad ἔτυμον, proprio, sive in sensu translatico. In sensu proprio deno-
 tatur hac voce (1) res, quæ ruinæ aut capturæ occasione aliis præbet,
 (2) ipsa offensio, aut deceptio, quia nihil alteri scandalo, offendiculo & ob-
 staculo esse potest, nisi alterius cursus & motus rectus & liber per illud
 impediatur. Hi duo significatus se invicem respiciunt ut materiale &
 formale. In priori res in ruinam aut capturam posita denotatur in casu
 recto, & in obliquo connotatur offensio seu deceptio. In posteriori in
 recto exprimitur offensio seu deceptio, & in obliquo simul connotatur
 res in ruinam aut deceptionem posita. Differunt proinde saltem quoad
 modum significandi, cum res significata utrinque sit eadem. (3) Quia ex
 re, qua quis offenditur aut decipitur, seu ex offensione & de ceptione ori-
 tur lapsus aut captura, ideo scandalum sumitur etiam pro ipso lapsu & ca-
 ptura, quæ ex offensione aut de ceptione fluit. Qui significatus tamen est
 metonymicus, utpote cum nomen causæ aut antecedentis tribuatur effe-
 ctui seu consequenti. In sensu translatico, in quem usus vocem hanc mi-
 grare jussit, Scandalum pariter tria denotat (1) illi, quod hominibus in vi-
 is vitæ hujus incedentibus offendiculo aut obstaculo est, ruinæque & ca-
 pturæ spiritualis occasionem præbet, quod plerumque peccatum est, quo
 alii ad peccandum alliciuntur, inescantur, invitantur. (2) Denotat ipsam
 offensionem aut deceptionem, qua quis ex alterius actione aut ejus omis-
 sione oneratur, dum se ad peccandum libere inclinari & trahi patitur vel
 ægre alterius peccatum fert. Offensio enim videtur in duplici esse vo-

nenda, vel in displicentia ob actum commissum vel omissum orta, vel in eo, quod quis ad omissionem aut commissionem actus concipit propositum a rectitudine deflectendi & idem agendi. (3) Usurpatur quoque de peccato & lapsu morali, capturaque spirituali ex offensione & deceptione promanante, in iis qui se libere scandalizari permittunt, & scandala data imitantur. Quid quod etiam (4) Metonymice in scripturâ S. per scandalum significantur ipsi scandalizantes & scandalizati Matth. 13, 41. *Angeli colligent e regno Christi omnia scandala* i. e. omnes qui patrunt iniquitatem, tam eos, qui alios malitiose scandalizarunt, quam illos, qui se passi sunt scandalizari, & fidei aut pietatis naufragium fecerunt, qui stant in scandalo, aut in statu scandaloso perseverant. Ex quibus pariter agnoscitur quanta sit vis scandalorum in hominibus corrumpendis & deteriorandis, ut ipsi fiant Deo abominabiles & omnibus sanctis Angelis piisque hominibus execrabiles. Per scandala nascuntur peccata ex peccatis, peccata multiplicantur, peccant qui alios scandalizant, peccant qui se libere scandalizari patiuntur, & sic peccata peccatis complicantur & coacervantur. *Azorius Tom. 2. Moral. L. 1. C. 16. p. m. 1151.* atrocitatem scandali sic explicat: Scandalum *inquit*, est [1] contra correptionem fraternam (2) contra ædificationem proximi bonam [3] contra misericordiam erga proximum (4) contra charitatem proximi, quia per scandalum fratris seu proximi ruina spiritualis intenditur vel promovetur, quæ est miseria.

§. 4. Scandalum in genere sumtum vix poterit præcisive, sive per conceptum a speciebus abstractum & præcisum definiri, ita ut Definitio adæquate omnes scandali species sub se comprehendat ipsique essentialiter tribui possit. Est enim scandalum ex numero illorum, quæ de inferioribus prædicantur sub ratione communis ab uno ad unum, sive quæ sunt analogæ, cum scandalum datum aut activum per se & primario sit scandalum, scandalum passivum vero vel acceptum sit per dependentiam & secundario tale. Sicut igitur in communibus ab uno ad unum seu in analogis ut plurimum primaria species definitur, & exinde secundaria species declaratur & æstimatur, ita quoque nonnulli Doctores loco Definitionis generalis scandali ponunt Definitionem scandali dati seu activi, ut pote quod præcipue scandalum est. *Bezelius l. c. p. m. 259.* sic definit. Scandalum proprie sic dictum, quod nominatur Datum, est impia doctrina aut exemplum impium, quod alii imitantes fiunt deteriores. Complexive

ta.

tamen, seu per complexum specierum, generalis Descriptio scandali dari potest. v. g. Scandalum in genere est actio aut omissio, qua vel ab altero sumitur vel ipsi praeberetur occasio mali. *B. D. Bechmannus ita in Notis Hutt. p. m. 848.* Scandalum (quod a corpore transfertur ad animum) in genere significat quodcumque quod alteri praeberere potest occasionem vel errandi, vel peccandi, vel sinistre de bonis suspicandi, vel a veritate recedendi. *Philip. Melanchthon in LL. Tb. p. 736.* sic describit: Scandalum est dictum aut exemplum, quo alius fit deterior, seu quia error in eo confirmatur, seu quia imitatur malum exemplum, seu quia flammam majorem odii adversus Evangelium concipit.

§. 5. Scandalum Datum in genere & praecise sumtum est peccatum actuale, quatenus eo aliquis laeditur & deterior redditur. Duo in hac Definitione sunt attendenda, alterum est Materiale, alterum formale.

Materiale est peccatum actuale. Cum igitur peccatum generaliter acceptum sit omne illud quod difforme est norma certam operandi rationem praescribenti aut determinanti, & dispescatur in peccatum naturae, peccatum artis & peccatum morale, ideo etiam scandalum pari ratione poterit dividi in Scandalum Naturae, Scandalum Artis & Scandalum morale. Peccatum Naturae est quod consuetae secundum naturam Dispositioni corporum est disconveniens, v. g. monstrositas in homine. Scandalum naturae ergo erit id, per quod fit aberratio a naturae consuetae dispositione, v. g. si foemina praegnans ex conspectu monstri hominis simile monstrum parit. Peccatum artis est quod non congruit cum regulis artis. Scandalum artis igitur erit omne id, quo alius inducitur, ut a Legibus artis aberret, vel quo alicujus forte non satis exercitati artificis effectus fit deterior. v. g. Informator imperitus, qui pueros non satis Latine loqui & scribere docet, dum ipse vitiose loquitur & scribit est pueris suis scandalo, & efficit ut Priscianus ab ipsis vapulet. Peccatum Morale est quod a regula morum exorbitat, & dicitur absolute peccatum. Scandalum proinde Morale est quod facit, ut aliquis regulas morum deserat, & peccet & per hoc fiat deterior. Et de hoc Scandalo hic nobis est sermo.

Dum scandalum dico peccatum actuale & morale suppono ipsum esse actum liberum & voluntarium, seu ejusmodi actus omissionem liberam & voluntariam. Est enim actus moralis, ergo debet esse liber & voluntarius, quia ad hoc, ut actus vere sit moralis, exigitur libertas, id quod

ita probatur: Actus moralis subiacet regulis morum. Sed non nisi actus liber subiacet regulis morum, quia actus liber tantum est dirigibilis aut regulabilis. E. non nisi actus liber est moralis. Libertas autem ad scandalum esse morale requisita non debet saltem esse pure naturalis, sed requiritur moralis & perfecta. Naturalem Libertatem Scholastici docent esse indifferentiam quandam ad agendum & non agendum circa objecta considerata secundum esse naturale, sive sint delectabilia, sive utilia, prout abstrahunt ab honestate & turpitudine, & hanc tribuunt etiam pueris ante usum rationis, & amentibus. Moralem libertatem dicunt esse indifferentiam ad agendum & non agendum circa bonum aut malum secundum rectam rationem, quatenus vel conforme est rectæ rationi, vel ei difforme. Hanc moralem libertatem requiri ad scandalum datum patet exinde, quia scandalum datum est actus moraliter malus, E. ad illud non sufficit libertas mere naturalis, sed præterea necessaria est libertas moralis, quæ cum plena cognitione honesti & inhonesti est conjuncta, & libere a dictamine rectæ rationis deficit, & inhonestum eligit & agit. Et ex hoc principio docetur, quod a pueris & amentibus scandalum datum fieri nequeat, quia procedere debet a ratione perfecte deliberativa, quæ in pueros & amentes non cadit, utpote qui non habent perfectam notitiam honestorum & turpium, nec discretionem honesti ab inhonesto, nec plenum dominium suorum actuum, quæ omnia ad libertatem moralem requiruntur.

Scandalum datum, ajunt Scholastici, debet esse voluntarium, vel formaliter, vel ad minimum virtualiter tale. Formaliter tale, ut procedat a voluntate actu præsentis in scandalum influente. Virtualiter tale videtur actus voluntarii præteriti, non solum non retractati, sed præterea permanentis in effectu aliquo residuo. v. g. Qui crebris pejorationibus, diris & execrationibus, etiam in nomine Diaboli factis sibi habitum maledicendi contraxerunt, sæpius suas maledictiones non advertunt, easdem tamen eructando alios scandalizant absque expressa intentione & voluntate malignandi & scandalizandi, hoc tamen non obstante scandala hæc ejusmodi hominibus sunt & imputantur ut voluntaria, quia ex prioribus actibus voluntariis facta est mala malignandi consuetudo, & habitus inde contractus ipsi ut voluntarius adscribitur.

Præterea ut Scandalum datum sit voluntarium requiritur intentio &

& cognitio vel directa & distincta, vel ad minimum indirecta, confusa & interpretativa, quod scilicet actio sit mala, & quod ex actione illa mala, aut omissione actus boni scandalum sit secuturum. Voluntarium enim debet esse a principio intrinseco cum cognitione. Ex hoc Principio nonnulli arbitrantur excusari posse Lothi ebrietatem, quæ Chamo erat scandalosa, quod non fuerit scandalum datum.

Formale scandali dati consistit in relatione ad eum qui læditur, quatenus ei præbetur & offertur occasio, motio & impulsio, ut fiat deterior, id quod fit vel (1) per falsa dogmata, hæreses, defensiones errorum, idolorum cultus, humanas traditiones, quæ sine peccato servari non possunt 1. Cor. 11, 19. (2) per mala exempla tam publica quam privata moribus nocentia. (3) per prava sodalitia, quæ alios ad societatem & imitationem scelerum trahunt, sicut multos exempla libidinum, belluinationum, rapinarum, usurarum imitari cernimus & dolemus. Corruptunt bonos mores confortia prava. (4) per mala consilia, persuasiones, blandas inescationes &c. [5] per persecutiones, quibus cursus aut veritatis aut pietatis impeditur, & Confessores veritatis sæpe a veritate abducuntur. [6] per malos, blasphemos, injuriosos, obscenos aliosque ejus generis sermones 1. Cor. 15, 33. (7) per iniuria injusta dissidiorum, contentionum, aut etiam publicorum bellorum. [8] per inopportunum usum libertatis Christianæ in rebus mediis, ritibus & ceremoniis indifferentibus, quo offenduntur infirmi, qui libertatem Christianam a iugo ceremoniarum Leviticarum, humanarumque traditionum, rituumque Ecclesiasticorum nondum plene intelligunt, nec satis sunt affecti. Nam qui non didicerunt causam libertatis, inquit *Melancthon l. c. p. 745.* & adhuc putant ritus illos esse cultus, cum dubitatione conscientiæ violant traditiones. Omnis autem dubitatio conscientiæ impedit invocationem. Quare apud eos, qui doctrinam non audierunt, & sunt homines modesti & dociles, non subito mutanda est consuetudo, sed prius doceri eos utilis est, sicut Paulus inquit: Infirmum in fide assumite non ad dubitationes, id est, homines dociles, qui amplexi sunt Evangelium, sed tamen adhuc aliquid dubitationis habent de his cultibus, erudite & confirmate, ut sciant se non peccare abjectis his ritibus. Ideo autem confirmentur, ne si cum dubitatione abjiciant, conscientiæ fugiant Deum, & excutiantur Fides & invocatio. Verum quando sit utile mutationes facere, judicium est piæ mentis, tantum absit petulantia. Hic observanda est Regula theologica: Apud infirmos dociles, sic utendum est libertate in Adiaphoris, ne subita novitas deterreat eos à doctrina: Aut si immutentur, nondum confirmati, postea incidant in periculosas dubitationes. De his Paulus hanc Regulam tradit Rom. 14. Infirmum in fide assumite, non tamen ad certamina disputationum, Item

ne

ne amplius alius de alio judicemus, sed hinc potius adhibete iudicium, ut ne offendiculum ponatis fratri aut scandalum. Nam si propter etiam frater tuus tristitia afficitur, non jam secundum charitatem ambulas. Et Rom. 15. Debemus nos, qui firmi sumus, imbecillitates infirmorum portare, ac non indulgere nobis ipsis. (*D. Bezelius l. c. p. 283.*) (9) per pertinaciam in observandis ritibus humanis, etiam iis qui multis abusus obnoxii, aut ad minimum sunt inutiles. Hæc pertinacia multiplex scandalum est, quia confirmat hostes veteræ doctrinæ, & adducit imbecilliores in dubitationem, qui metuunt non probari usum libertatis illis, qui doctrinæ vel autoritate antecellunt, & contristatur interdum Spiritus sanctus in imbecillioribus, cum dolent se accusari levitatis. *Melanchthon l. c. p. 746.*

§. 6. Desiniri proinde solet scandalum datum, quod sit dictum aut factum, aut utriusque intermissio, unde aliquis fit & fieri potest deterior, dum ipsi præbetur occasio vel errandi, vel in errore permanendi, vel peccandi, vel finistre de bonis suspicandi, vel maledicendi, vel se in conscientia angendi, vel contra conscientiam agendi, vel à veritate recedendi.

§. 7. Duplicis, imo multiplicis peccati reus est, qui dat scandalum, primo dum ipse mortaliter peccat, deinde dum alios ad peccandum & societatem atque imitationem malefactorum invitât, allicit & instigat. Mortalia enim peccata non solum per se sunt horrenda facta, sed etiam eò fiunt atrociora, quia plures secum trahunt & à Deo avellunt, & sunt semina aliorum sequentium scelerum, sicut lapsus Davidis primum polluit matronam sanctam. Deinde impulit illum ad prava consilia de interficiendo Uria. Postea secutæ sunt pœnæ, in quibus Absolon & magna pars populi multipliciter offenderunt Deum, sicut dicitur ἐν τῷ ὄρει πᾶσι ἰδέα κτανῶν ὄντι. De hoc igitur genere scandalorum loquitur dictum: Væ mundo a scandalis. Item; Væ homini, per quem veniunt scandala. *Bezel. l. c. p. 259.*

§. 8. Azorius l. c. p. 11. 3. Quatuor ponit regulas contra scandalum datum.

1. Non licet invitare vel inducere alium non paratum ad peccandum, alioquin si invitamus vel inducimus, sumus causa illius peccati, quod alius committit, & moraliter peccamus, quia sumus cooperatores peccati

Huc respexit in quæstione & responsione, quam p. 1152. posuit.

Quærit. *An, qui fornicatur, committat scandalum?* Respondet: Si is qui fornicatur, habet consortem alias paratam ad fornicationem, tunc non committit scandalum, nec reus est fornicationis alterius. Si vero consortem habet alioquin non paratam ad fornicationem, tunc reus est duarum fornicationum, & suæ & fornicationis in consorte, quia fuit causa utriusque.

2. Si paratus est aliquis peccare, & nulla nobis causa vel jus est faciendi aliquid, ex quo ille peccet, si facimus, sumus concausa peccati, & peccamus

venialiter. v. g. Quando puella, sciens juvenem esse paratum ad concupiscendam eam, vane & otiose se foris videndam & spectandam sistit & exhibet, peccat quidem, quia vane & otiose se illi ad irritamentum offert, sed peccat venialiter, quia juvenis eam sponte sua concupiscit, etiamsi ipsa nec sciret, nec concupisci intenderet.

Huc tendit responsio quam Azorius dedit ad questionem XI. p. 1158. (1) Si femina ornat se ut alium ad lasciviam excitet, peccatum est mortale. [2] Si ornet se secundum morem patriæ, aut pro conditione sui statûs, aut secundum morem temporis, non est peccatum, quamvis sciat se ab alio concupiscendam lascive, dummodo non faciat animo inducendi eum, quia jure suo utitur in se ornando (3) si autem ornat se sine justa causa, & scit vel scire debet, lascive se a certa aliqua persona concupiscendam, peccat, quia negligit salutem proximi, & occasionem peccandi alteri præbet.

3. Quando aliquis ad male agendum est paratus, nobis tamen est jus & causa faciendi id quod facimus, ad quod ille peccat, tunc licet nobis facere illud, nec tamen propterea sumus causa peccati alterius. v. g. Si pecuniis indigemus, licite illas mutuo petere possumus ab eo, quem scimus paratum ad dandum sub usura mordente, & non aliter daturum. Sic juramentum licite exigitur ab infideli, ratione contractus cum ipso celebrati, licet paratus sit jurare per falsos Deos. Item puella die festo licite domo sua egreditur ad audiendum verbum Dei, licet aliis fiat concupiscentiæ incitamentum.

(4) A parato ad peccandum nunquam licet exigere illud, quod fieri non potest sine peccato, sed saltem licet exigere id quod indifferens est, ut bene vel male fieri possit, licet sciamus ipsum, a quo petimus, non facturum nisi male, v. g. Si indigemus pecunia, non licet petere ut usurarius det nobis sub usuris, vel ut infidelis juret per falsos Deos, quia ista non possunt bene fieri, sed solum licet petere, ut mutuet, ut juret, quia hæc bene & male fieri possunt, & culpa alterius est, quod male faciat. Si enim vult, potest bene facere.

§ 9. Scandalum datum est vel intentionis directæ, vel intentionis indirectæ. Ad quod discrimen recte intelligendum, ostendendum est, quid sit directa, quid indirecta intentio. *Directa intentio* est, quando quis effectum aliquem explicito & expresso voluntatis actu efficaciter expetit, ita ut eum efficere, vel saltem aliquid ad illum conferre cupiat. v. g. Directe literarum exarationem intendit, vel qui ipse calamum in manum sumit, ut scribat, vel qui sub ministratis mediis & adminiculis alii scribendi laborem injungit & delegat. *Indirecta intentio* est, quando quis expresso actu voluntatis aliquem effectum non expetit & desiderat, sciens tamen aliquid ad eum conferri, atque adeo perinde se gerit, ac si eum expeteret. Idque fit dupliciter, primo, cum quis appetit & agit quippiam, ex quo aliquo modo novit effectum sequi, quomodo

qui medicamentis utitur, cum non nesciat, ad eorum usum se nausea ut in esse, indirectè nauseam intendit. Qui hominibus rixandi inter pocula libidine, famosis se adjungit compotorem, rixam cum iis committendam; qui probra in aliquem ingerit, convitia in se retorta; qui aequalem percutit, sui repercussionem; qui duello cum altero congreditur, sui vulnerationem; qui furatur, poenam in fures lege constitutam saltem indirectè intendit. Quamvis enim ex præviis actionibus tale quid sequi non sit certum, ubique tamen effectus probabiliter secuturi periculum subesse nemo ignorat. Deinde si quis effectum, non impediatur, cum possit & debeat: quomodo mater indirectè intendit lapsum pueruli, si minùs cauta & circumspècta, aut somno victa, aut aliis rebus intenta eum ex gremio prolabi sinat.

Illos effectus, qui sunt contra bonos mores, & quos non fieri alicujus vel aliquorum interest, indirectè intendere dicitur, non qui quidvis fecerit, ex quo norit ipsos sequi, sed qui factò illicito illos provocat, aut qui scilicet id agit, a quo tenebatur abstinere, ne hujusmodi effectus sequeretur. Ita Pastor Ecclesiæ palàm omnium illecebris vitiorum ac cupiditatum deditus, cum conjecturari, indirectè aliorum perditos mores intendit. Et quamvis per se non sit illicitum, aliquem suorum peregrè ablegare; si quis tamen, nullâ urgente necessitate, filium vel servum eo tempore amandet, quo hostem in confiniis sævitiam grassantem obvios quosque trucidare non ignorat, indirectè filii vel servi necem intendit. Nec Paulus nullam iis culpam impingit, qui suo ævo vescebantur carne, cum tamen non nescirent, infirmiores quosdam esu carnis offendere & ad peccandum allici Rom. 14. His præsuppositis distinctio est evidens.

Scandalum datum intentionis directæ est, quando quis expresso voluntatis actu alterius peccatum vult, expetit & desiderat, illumque ad peccandum inducit vel præceptione, vel suasionem, vel consilio, vel coactione, vel remotio-
ne prohibentis, vel applicatione agentis ad patiens &c.

Scandalum intentionis indirectæ est per quod quis alterius peccatum aut errorem non quidem expresse intendit, ita tamen dictis aut factis in se malis se gerit, unde alii communiter occasionem peccandi & mala imitandi arripere solent.

Quæritur hic: Annon Deo tribui possit intentio peccati indirecta, quia fecit & adhuc nonnunquam facit aliquid, ex quo novit sequi peccatum, sicut primis parentibus fructu arboris scientiæ boni & mali interdixit, cum tamen legem eam violatum iri præviderit ab æterno; & hodieque hominibus in peccata conscientiam vastantia incumbentibus aliquando subtrahit gratiam suam, cum non nesciat, illos gratiâ destitutos in graviora peccata præcipientes agi. Quin & Christus non ignoravit, prædicatione Evangelii pariter ac miraculis suis Ju-
dæos

deos offensum & ad pessima quæque consilia adversus se exstimulatum iri, Reip. Absit, ut Deum aut Servatorem nostrum ullius peccatum hominis saltem indirectè intendere persuasum nobis habeamus. Is enim indirectè peccatum alterius intendere dicitur, qui factò illicito illi occasionem præbet, & qui ab eo, quod agit, tenetur abstinere, ne malus effectus sequatur, hinc in Definitione dixi, *ita tamen dictis & factis in se malis se gerit, unde alii communiter occasionem peccandi & mala imitandi arripere solent.* Atque propterea Deus non potest dici indirectè peccatum intendere, qui nullo dicto aut factò in se malo ita se gerere potest, ut alius inde peccati occasionem arripere possit. Neque etiam Deus aut Servator Dei filius quicquam agit, à quo debeat abstinere, ne homines peccent. Siquidem quod à ter Optimo Maximo proficiscitur, bonum & salutare, vel saltem justum est. Contrà, quod ex illo sequitur peccatum, à liberrimâ hominum voluntate & malitiâ originem trahit. Quemadmodum, & elegantiformâ mulier, etiam si animo præsumat, incontinentes & salaces sui aspectu pravâ libidine accentum iri, non tamen propterea carere publico tenetur. Videatur Petr. Musæus in *Instit. Metaphysicis* c. 13. § 22, 23, 27, 28, 29.

§. 11. B. D. Joh. Affelmannus in *Systemate Exercitationum Academicarum* Disp. 28. de Fide Infantum p. 823, distinguit Scandalum datum [1] in morale & reale [2] in *δευτέρας* & *πρώτας* tale [3] in actu & potentia tale. Verba ejus ita jacent: Distinguendum est inter scandalum morale & reale: Ut maxime enim infantes tales scandalizari non possint scandalo morali, malo exemplo, possunt tamen scandalizari scandalo reali, malo factò, quatenus iis aditus ad Christum intercluditur, quatenus contemnuntur, injuriisque afficiuntur. Hinc *Chrysothomo, Euthymio, Thoma, Maldonato*, scandalizare idem hic est, quod contemnere & malefacere. Audi Distinguendum esse inter scandalum consideratum *δευτέρας* tatione hominum, & consideratum *πρώτας* tatione Dei: Inter scandalum actu & potentia. In Dei enim judicio istam quoque actionem scandalum dici, quæ alios offendere potest, licet in nervum non erumpat, nec re ipsa offendat, quia Deus COR & intentionem agentis magis quam actionis eventum respicit, patet ex *Matth. 16, 23*. Ubi Christus ad Petrum: Vade post me Satana, scandalum es mihi. Dic fodes, an actu? *ἄπορον*. Neque enim Christus scandalizabatur actu. Potentia ergo: Quia scilicet Petrus talia, quæ apud alios scandalum excitare poterant, proferebat.

§. 12. Quomodo in omnibus statibus scandala data regnent, tam in fide quam in vita, distinctè exposuit B. D. Bechmannus in *Notis Hutt.* p. 849. I. In statu Ecclesiastico, quod fidem attinet, scandala præbentur, quando (a) ipsi ecclesiæ doctores non satis gnari sunt dogmatum, quæ auditoribus proponenda sunt. (b) Cum falsa dogmata non arguunt, hoc ipso enim occasionem præ-

bent auditoribus, ut facilius seducantur. (c) quando collusione cum heterodoxis ecclesie ministris aliis occasionem ad idem faciendum suggerunt. [d] cum jactant miracula, ubi nulla sunt, sic enim simpliciores seducuntur. (e) quando ecclesie doctores in mysteriis rationem sub obsequium Christi captivare nesciunt. (f) quando falsa dogmata auditoribus proponuntur. [g] quando circa adiaphora impingunt ecclesie doctores. Similiter quoad vitam scandalam præbentur à ministris Ecclesie quando pio exemplo auditoribus non prælucent, aut secure peccatis frena laxant, ut exemplo Pastorum iisdem oves quoque illaqueentur. II. Quoad fidem Magistratus in statu Politico scandalizat [a] quando subditos ad religionem fallam amplectendam vi & armis cogit. (β) quando nullam religionis curam gerit. (γ) quando ministris ecclesie mandat, ne falsa dogmata aut peccata publica arguant. (δ) quando sinceros doctores in exilium ejicit, ne subditi in vera religione informetur, & si qui alii modi occurrunt. In eodem statu Politica à Magistratu præbentur quoad vitam, [a] peccatis indulgendo, sic enim subditi ea imitando deteriores fiunt. [b] peccata subditorum non puniendo, sic enim in subditis peccandi securitas augetur. III. In statu Oeconomico aut inter privatos scandala oriuntur (1) in fide, quando alter alterum ad falsam religionem sollicitat & seducit. [2] quando negligitur pia in fide informatio liberorum. [3] cum filia in matrimonium elocantur illis, qui falsæ religioni sunt addicti, aut filiis permittitur, ut hereticorum filias ducant. [4] quando liberi hereticoxorum informationi committuntur, ubi præsentissimum seductionis periculum ipsis imminet. Quæ vitam in eodem statu scandala præbentur, [a] quando parentes liberis de victu & amictu non prospiciunt, (β) quando debitam circa liberos disciplinam negligunt.

§ 13. Scandalum acceptum seu passivum est, quando præter intentionem agentis & sine culpa ipsius actus, alterius, ex prava ipsius dispositione, sequitur ruina & deterioratio. Vocatur alias scandalum per accidens respectu hominum, qui vel ex malitia vel ex infirmitate scandalizantur, quando scilicet præter intentionem agentis, & præter naturam ipsius actus sequitur alterius ruina, ita ut deterior fiat. Scandalum hoc est vel infirmorum vel improborum:

Scandalum infirmorum est quando rebus indifferentibus, etiam bonis, aut in tempestivo usu libertatis ex certo præjudicio offenduntur homines non quidem mali, sed tamen matura discretionem carentes, in charitate vacillantes, habentque Zelum non secundum scientiam, a quibus proinde rebus ad tempus ex charitate est abstinendum. 1. Cor 8, 9, 12, 13. *Videte ne forte licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Sic enim peccantes in fratres & percutientes eorum conscientiam infirmam in Christum peccatis.* Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Fre-
quen-

quenter in primitiva Ecclesia ejusmodi obtingebant scandala. Christiani enim ex Judaismo conversi observabant secundum consuetum morem discrimina ciborum & in lege Mosaica praescriptos dies festos aliosque ritus, videntes hoc Christiani ex Gentilibus Christo lucrefacti, & certiores redditi, quod in Christo sit libertas a jugo ceremoniarum Leviticarum, interpretabantur in iis observationem cultus Levitici puram putam superstitionem, & accusabant ipsos, quod non stent in vera libertate Christiana. Christiani vero ex Gentilismo cum promiscue omnibus cibis, etiam in lege Mosaica prohibitis, vescerentur, nullosque dies festos ritusque Leviticos attenderent, judicabantur a Christianis ex Judaismo tanquam Contemptores Legis Divinae, qui injuste & impie agerent, & libertate Christiana abuterentur. Ex his contrariis judiciis fluxerunt dissensiones & multifaria impedimenta Christianae charitatis, ut coalitio animorum sincera per vinculum pacis inter Christianos utriusque partis vix obtineri potuerit: Et haec charitatis & fraternae dilectionis obstacula a se ipso erant scandalosa, perniciosa. Utrunque autem erant scandala accepta conjuncta cum Zelo, qui non erat secundum veram scientiam, non secundum veram fidem, non iuxta verum libertatis Christianae usum. Ad haec avertenda scandala Paulus utramque partem reprehendit, & neque hos ab istis spernendos, neque istos ab his damnandos, atque adeo neutros ab altera parte judicandos esse praecipit Rom. 14, 1, 2, 3. *Infirmus fide suscipite non ad dijudicationis disceptationem. Alius credit, fas esse omnibus vesci: Alius infirmior oleribus vescitur. Qui edit, non contemnat abstinentem, & qui abstinet, non judicet comedentem v. 5. Alius diem praedie astat, alius perinde omnes astat. Quilibet animo suo satisfaciat, seu animo bestrabundo nihil faciat. v. 6. Qui curat diem, Domino curat. Qui diem non curat, Domino non curat. Qui edit, Domino edit, guttas enim agit Deo: Et qui non edit, Domino non edit, & guttas agit Deo. Idem agit Gentium Doctor in 1. ad Corinth. C. 8. ubi cum quidam infirmi & in religione nondum perfecte instituti abhorrent a carnibus de victimis gentium, existimantes, se illis vescentes idololatria inquinari, contra vero alii rectius informati existimarent, se licite ejusmodi carnibus vesci posse, Apostolus hos monet, ut libertate sua ita utantur, ne scandalizent priores infirmos, sed in gratiam recens e Judaismo converforum fidelium ab usu istarum carniarum abstineant. Hinc seipsum, ut magis moveat, exempli loco sinit v. 13. cum ita scribit: *si esca scandalizet fratrem meum, baud quaquam carnibus vescar in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.* Cum enim scandalum hoc arripiatur ex re indifferente, ideo res illa tutius omittitur, ne offendatur proximus infirmus, cum res illa per se nec Deo sit grata, nec adversa. *Bechm l. c. p. 851.**

§. 14. Scandalum infirmorum non nunquam accipi posse ex usu rerum, per se bonarum & a Deo praeparatarum jam dudum docuit experientia. *Ufus Sa.*

*sacræ cenæ sub utroque symbolo a Christo est institutus, in Papatu tamen per
 contrariam sanctionem Pontificiam de communione sub una, in tantam abiit
 defuetudinam, ut usus sub utraque specie infirmis fuerit scandalo, ita ut sub ini-
 tium reformationis Lutherus, conscientis infirmis consulens, aliquandiu e-
 rit, donec conscientia rectius informarentur. Audiamus ipsum Lutherum.*
 Traß. de Commun. sub utraque T. 2. Jen. Germ. ubi p. 87. sic loquitur: Der
 gemeine Mann ist durch Pöblichke Tyranny und Befehl im Gewissen so hart
 verstrickt und geschwächt im Glauben / daß er den Gebrauch in einer Gestalt
 nicht kan so pöblich fahren lassen und sein Gewissen festigen / daß des Pöblich-
 Ding unrecht / und dieser Brauch recht und Evangelisch. Wo nun solche schwache
 Menschen hingehen und beyder Gestalt nehmen / so beisset sie darnach das
 Gewissen / und bechren daß sie haben beyder Gestalt genossen / als hätten sie
 übel daran gethan. Das ist denn ein greulich Ding und ist übel ärger worden /
 denn mit solcher Beicht und Gewissen verleugnen und verdammen sie Christum
 und seine Einsetzung / nur ferne mit diesen Leuten von beyder Gestalt. It. p. 88.
 wie sie thun / gieb man beyder Gestalt / so nim beyde / und richte nichts sonder-
 liches an / noch seze dich wider den Hauffen. Wenn man dich aber fraget / so
 soltu bekennen / es sey nicht Evangelisch / eine Gestalt zusehmen. Denn mit
 dem Evangelio / und nicht mit der That und Ordnung soll man die beyde
 Gestalt wieder aufrichten. Der gemeine Mann wird nicht mit der That noch
 mit der Ordnung / sondern mit dem Evangelio gelehret / daß beyde Gestalt recht
 sey. Sicht dich hier an Christus Einsetzung von beyder Gestalt / als sichs nicht
 zieme eine Gestalt zunehmen / soltu dich also berichten: Die Schuld ist nicht
 deine / daß du nur eine nimmst / und Christi Einsetzung nicht haltst. Du wollest
 inne die schwachen Gewissen verstricket sind / welche du nicht must zurüthein / son-
 dern bulden und weisen / bis sie auch starck werden. Denn Noth hat kein Bes-
 bot.

§. 15. Scandalum acceptum improborum est quando improbi sua
 malitia & perversa oblatione occasionem peccati arripiunt ex iis, quæ in se
 bona sunt, & quæ aliter agere non licet, v. g. ex pia doctrina, pio Zelo, recte factis,
 aut necessario usu libertatis, & quæ propterea non sunt omittenda, licet mala mentes
 ita offendantur, ut majus odium contra veritatem aut pietatem concipiant.

Certe ejusmodi scandala, quibus impii irascuntur vel veræ Doctrinæ Ev-
 angelii, vel pietati & honestis factis, nolunt taxari errores, nolunt aboleri cul-
 tus idolorum & varias superstitiones, nihil aliud sunt quam Pharisaicæ offen-
 sio.

iones; Pharisei quippe scandalizabantur doctrina atque humilitate Christi, quam rejiciebant & impugnabant & sic gravissime peccabant Matth. 15, 12. Christo & Apostolis, inquit Melanchrbi: LL p. 737. adversabantur plerique omnes, qui eruditione & autoritate in populo Judaico antecelabant, & speciosis causis movebantur. Videbant aboleri Legem Mosaicam. Existimabant autem summum scelus esse, legem unam & solam in toto genere humano, traditam à Deo, deleri, & videbant ex ea rescuturum esse interitum illius pulcherrimæ politiz, non à Solone, non ab Augusto, sed clara voce Dei, & certis testimoniis Dei constitutæ. His causis vehementissimè motos esse omnes sapientes in illo populo, non dubium est, præsertim fascinosos persuasione de regno Messie mundano. Sic emergente rursus Luce Evangelii Doctores Pontificii in Papatu veræ doctrinæ & necessariis mutationibus superstitionum & impiorum cultuum miris modis irascebantur, & Evangelium omnibus viribus oppugnabant. Causæ erant variz, quibus movebantur & ad furorem quasi compellebantur. Alii pugnabant de ventris commodis, ut qui quæstus magnos, qui erant ex Missis, aut ex invocatione mortuorum, diminui volebant. Alii de autoritate dimicabant, alii fascinati persuasionibus suis, volebant ea, quæ ipsi mirabatur & probabant, taxari. Ut fascinati admiratione suæ justitiæ, nolunt audire hanc vocem, homines non esse justos propter propriam dignitatem & mundiciem. Viri politici quia videbant, ex dissensionibus opinionum oriri distractiones Principum, bella & perturbationem disciplinæ, volebant moveri nullas de doctrina disputationes. Etiam hodiernum multè scandalum accipiunt ex mysteriis divinitus revelatis, quæ, quia ratione sua capere nequeunt, blasphemè rejiciunt, quod faciunt hostes S. S. Trinitatis, Deitatis Christi &c. Doctores Pontificii adversantur veritatibus Evangelicis, fugillant rectum usum sacramenti sub utraque, Sacerdotes Evangelicos honeste in conjugio vivent ut concubinario traducunt &c. Abstinenciam ab esu carnis certis diebus, Missas satissætorias pro vivis & mortuis, vota Monastica aliasque ordinationes traditiones Papales sub ratione necessitatis & meriti omni conatu defendunt. Et quæ alia scandalorum genera torbant Ecclesiam & vinculum charitatis coalescere non sinunt. Hic Regula hæc tenenda est. Necessè est confiteri veram doctrinam, & fugere idola, & facere opera mandata à Deo, etiam si fiant & repugnant impii, & concipiunt majores flammæ odii adversus Evangelium, & quanquam dissidia tristitia oriuntur ex impiorum pertinacia. Peccant autem impii adversantes Evangelio, & causæ sunt dissidiorum ipsi, qui cedere veritati debeant: Non peccant hi, qui juxta vocationem rectè docent aut consententur Evangelium. Errores de Deo, & idola taxari necesse est, si fractus illabatur orbis: Oportet enim anteferri primum & secundum m

dat

datum omnibus humanis rebus vitæ nostræ, fortunis nostris, famæ nostræ, p^aci Republica. Contra pertinaces adversarios quoque Libertas Christiana est defendenda juxta doctrinam & exempla Apostolorum, Hanc Regulam tradit Paulus, Galat. 2, 3, 4, 5. Sed neque Titus, inquit, coactus est circumcidi, propter falsos fratres, qui irreperant ad explorandam libertatem, quam habemus in Christo Jesu, ut in servitutem nos adigerent: Quibus ne ad horam quidem cessimus per subjectionem, ut veritas Evangelii permaneret apud vos.

§ 16. Ex accusationibus & inculpationibus Pietistarum, promiscue & sine prudenti discrimine cum nimia vehementia factis, sæpe probi, sæpe improbi scandalizantur. Probi contristantur, dum ab imperitis pietatis studium in pietissimum transfigurari audiunt, & deinde in cursu pietatis sæpe sunt igniores, in eoque recidivam patiuntur, ne ulterius coram hominibus male audire cogantur. Improbi vero eo longius & remotius a pietate recedunt, & in negligentissimo Christianismo perseverant, quo magis cavendum esse arbitrantur, ne coram mundo fiant suspecti. Provide ergo hic agendum esset, ne pii tepidiores, & impii redderentur pejores. Impii inter Evangelicos scandala arripiunt ex abusu Evangelii, dum universalem Dei gratiam, catholicum Christi meritum & generales promissiones spiritus sancti, ad se in individuo applicant sine serua pœnitentia & sine vera fide, & hoc putativo solamine læti & tui in peccatis proæreficis pergunt, Christumque peccati Ministrum faciunt Gal. 2, 17. Quibus sæpe perniciosus hic error ob oculos ponendus, & omnibus modis e cordibus evellendus est. Sicut etiam nos instruit Form. Concord. in Decl. de Lege & Evang. p. 711. *Evangelium remissionem peccatorum non securis mentibus, sed perturbatis & vere pœnitentibus annunciat.*

Ex fide sola justificante multi arripiunt scandalum fidei solitariae, quasi hæc sufficiat, ad veritatem Christianismi, & quasi nulla opus sit ulteriori cordis & vitæ emendatione. Lutherus ipse contra hoc genus scandalis sic diserit in Postilla Eccl. Domin. post Pascha. *Falsche Christen hören wol gerne/ so man lehret daß wir allein durch Christum selig werden/ und daß unser Werck und Thun solches nicht verdlene/ und meynen/ wenn sie solches gehöret haben/ seyn sie nun auch Christen/ und dürfen gar nichts thun noch streiten/ denken nicht daß durch und aus dem Stauben sollen neue Menschen werden/ welche die Welt und den Teufel überwinden. Das soll das Wahrheiten seyn der rechten Christen/ dabei man kenne/ daß sie aus Gott geboren seyn/ und sie unterscheide von den falschen Kindern/ welche allein den Schaum behalten/ von dem Wort Gottes/ aber die Kraft desselben nimmer erfahren. Es heist nicht von Gott geboren seyn/ und doch in dem alten todten weltlichen Wesen bleiben/ und nach des Teufels Befallen in Sünden liegen und bleiben wie*

wie du zuvor gewesen bist/ sondern dem Teufel und seinem ganzen Reich wider-
stehen. Darum so du nicht die Welt überwindest/ sondern dich überwinden
lässest/ magstu wohl rühmen vom Glauben und Christo/ aber deine eigene That
zeuge wider dich/ daß du nicht Gottes Kind bist. Quæ scandala arripiant
falsi Christiani in propatulo est, sc. ex suis operibus operatis, ex externa tem-
plorum frequentatione, externa confessione & absolutione, externa communi-
one, & accepti baptismi gloriatione, externa verbi confessione & defensione,
aliisque ejus generis actionibus, quatenus fiunt sine interiori cordis imutatione
& sine vera a Deum conversione, quibus tanquam efficacissimis solatiis secreta
sua corda, contra morsus conscientie læsa subinde evigilantis palliant, tegunt
& muniunt, sed frustra, & in sui ipsorum perniciem.

§. 17. Hæc hic de scandalo præmissæ & dixisse sufficiant. Ulteriora pro-
ferre chartæ prohibet angustia. Plura audiemus, quando, Bono cum Deo d.
20. Julii fraterna & ministerialis nostra coibit Synodus, Quem in finem eti-
am Quæstiones sorte distributas Pl. Rev. Dominis Confratribus transmittito.
Singuli, me etiam non monente, id agent, ut ad Quæstiones suas grata brevi-
tate respondeant, thesesque suas a contradictionibus, si quæ offerentur, vindi-
cent. Deus, fraternorum Congressuum Autor & Fautor, largiatur gratiosissi-
me integras corporis animique vires, ut singuli hoc labore sacro rite perfungi
queant, Quod mente manuque vovet

Vester in Christo Frater

D. JOH. ADOLPH. FROHNIUS,
Superint.

Dabam Mulhufii & museo
Anno 1706. d. 21. Junii.

Quæ-

QVÆSTIONES SYNODICÆ.

A. B.

- Qv. 1. Quid sit scandalum in genere, & in specie scandalum datum?
Resp. Superintendentens.
- Qv. 2. Qualis cognitio, voluntas & libertas requiratur ad hoc, ut scandalum sit voluntarium? *Resp. Dn. D. Georg. Christiani Ellmar/
Past. B. M. Virg. & Secundæ Inst. Ass.*
- Qv. 3. Quid sit scandalum datum tam intentionis directæ, quam intentionis indirectæ? *Resp. Dn. Job. Georg. Bockerodt / Past. Sollstet-
zensis & Heigenrodensis.*
- Qv. 4. Quomodo scandala dentur verbis seu dictis? *Resp. Dn. Gottfried
Förster / Past. Bollstettensis.*
- Qv. 5. Quomodo scandala dentur moribus & factis, & quomodo differant scandalum morale & reale? *Resp. Dn. Andreas Schmid /
Past. Dachbrendensis.*
- Qv. 6. Quid sit scandalum acceptum seu passivum? *Resp. Dn. Tobias
Gottfried Bachmeister / Past. DD. Georgi & Martini.*
- Qv. 7. Quid sint scandala Pharisæica & improborum, & quomodo prudens Christianus se circa illa gerere debeat? *Resp. Dn. Christoph
John / Diac. ad Div. Blasii.*
- Qv. 8. Quid sint scandala infirmorum, & quomodo veri Christiani Conscientia illorum intuitu juxta 1. Cor. 8, 9-13. possit illibata servari?
*Resp. Dn. Job. Georg. Siederdt / Past. Windebergensis & Sale-
feldensis.*
- Qv. 9. An pueri aut amentes possint dare scandala? *Resp. Dn. Georg.
Andreas Starcke / Past. Höngedanus.*
- Qv. 10. Unde sit necessitas scandalorum Matth. 18, 7. Luc. 17, 1. 1. Cor. 13, 19. ? *Resp. Dn. Christian Haserodt / Past. Kayserbhagensis &
Reiferensis.*
- Qv. 11. Quomodo Christus 1. Pet. 2, 8. dicatur petra scandalit? *Resp. Dn.
Andreas Stier / Past. Ammanorum.*

Qv.

- Qv. 12. Qvomodo Petrus Christo dicatur esse scandalo Matth. 16, 13. cum Christus scandalizari non potuerit? *Resp. Dn. Hieronymus Adolphus Helmstorf / Substitut. Past. Eccl. Dörrens. & Hollenbach.*
- Qv. 13. Qvomodo pusilli, imò infantes juxta Matth. 18. v. 6. scandalizari possint? *Resp. Dn. M. Christian. Scribonius, Diac. B. Mar. Virg.*
- Qv. 14. Qvomodo omissio actuum bonorum ingenere, & in specie Omissio Correctionis fraternæ sit scandalum? *Resp. Dn. Benjamin Eisenhardt / Past. DD. Nic. & Petri.*
- Qv. 15. Qvomodo Christianus in traditionibus humanis & rebus adia-phoris uti debeat libertate Christiana, juxta Rom. 14, 1. 6. ne vel per intempestivum usum eadem abutatur, vel per nimiam pertinaciam eandem destruat, atque adeo utrinque lapsum fratris promoveat? *Resp. Dn. M. Paulus Adolphus Frobnius, Past. utriusque Graba.*
- Qv. 16. An in casu scandali licitum sit opera legis omittere? *Resp. Dn. Adam Traband / Past. Eigenridensis & Sambacensis.*
- Qv. 17. An svasio minoris peccati, ad evitandum majus sit scandalum? *Resp. Dn. Job. Bernhard. Frohne / Pastor Felchtensis & Emelbusanus.*
- Qv. 18. An si homo impius jam tum paratus sit ad peccandum, de alio dici possit, quod per similem actionem aut invitationem ipsi det scandalum? *Resp. Dn. Job. Willhelm Dollandi / Pastor Horsmarientis.*
- Qv. 19. An dent scandala, qui chartas lusorias, taxillos, fucos, venena, & alia instrumenta malitiæ vendunt iis, quos vel sciunt, vel probabiliter putant, aut credere debent, rebus illis male usuros? *Resp. Dn. M. Augustus Schreiber / Past. Lengefeldensis.*
- Qv. 20. An scandali causa sit & ad peccandum invitet, qui exigit juramentum ab in fideli, quem non nisi per falsos Deos jurare novit, item qui mutuo sumit pecuniam ab usurario, quem scit, non aliter eam esse daturum, quam sub conditione usuræ mordentis, item Judex qui sumta pecunia publica scandala abolet? *Resp. Dn. Friedrich Eisenhardt / Pastor Germeranus.*

Ordo

ORDO DIERUM POENITENTIALIUM.

Dies Primus 2. April. Textus	{ Matutini ex Luc. 23, 40-47. pomeridiani Luc. 23, 50-56.
Dies Secundus 6. Julii. Textus	{ mat. Heb. 6, 1, 2, 3. pom. Heb. 6, 4-9.
Dies Tertius 10. Sept. Textus	{ mat. Heb. 6, 11-15. pom. Heb. 6, 16-20.
Dies Quartus 23. Nov. Textus	{ mat. Heb. 7, 24-27. pom. Heb. 8, 10-12.

Summa Deo Soli gloria, laus & honor.

FINIS.




N^o 2278




sb.

ND 17 = 00







I. N. J.
ΣΥΖΗΤΗΣΙΣ
DE
SCANDALO,

IN SYNODO MOLHUSINA,

Anno 1706. d. 20. Julii,

post sacra in Æde Mariæ Magdalenzæ

peracta,

ventilandæ,

ad quarum ἀποδοσιν

NOBILISSIMI PROCERES;

ad velitationem vero

PLUR. REVERENDI DOMINI ΣΥΖΗΤΗΤΑΙ

officiosissime & amantissime

invitantur

^a
D. JOH. ADOLPHO FROHNIO, Past. Prim.

Superint. Consist. Aff. & Scholarum

Inspectore.

MULHUSII

typis Tobia Davidis Brückneri,

Anno 1706.